DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONUM,

ET SPECIATIM DE

DIÆTA,

PHTHISICIS MAXIME ACCOMMODATA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICI DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BUNNELL DAVIS,

ANGLUS.

MED. DOCT. SCHOL. MONSP.

SOCIET. PLURIM. MED. SOCIUS, &c.

Die VIII. *ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT E. BALFOUR, ACAD. TYPOGRAPHUS.

1808.

Joannes Bunnell Davis

M. D.

muelo Chilver, Armigero.

Hoc pignus

metsi in seipso parvi valoris;

Vigiliis consummatum;

Amicitiæ oblatum,

Accipiens

interire

non sustinebit.

PATRI CARISSIMO,

VIROQUE OPTIMO,

TIMOTHEO DAVIS,

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS GEORGII TERTII

APUD TELONIUM NAVALE LONDINENSE

CHIRURGO,

OPUSCULUM HOC ACADEMICUM,

AMORIS ATQUE GRATITUDINIS

LEVE MONUMENTUM,

DICAT CONSECRATQUE

FILIUS.

CAPITA OPUSCULI.

DE PHTHISI.

" Quamobrem in hoc morbo, sicut in aliis omnibus, quorum certa remedia nondum inventa sunt, aeger contentus esse debet iis praeceptis, quae docent, qualis vitae victusque ratio fugienda sit, qualisque eligenda, ut totius corporis valetudini quam optime consulatur."

Heberden Comment. de Morb. Hist. et Cur.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONUM.

PROCLIVITAS. PROPHYLAXIS.

A remotissimis temporibus, ad hunc usque diem, in hâc sicut et in aliis regionibus, ad phthisin pulmonum debellandam, medicina parum feliciter adhibita est; etsi autem ars salutifera, ad hanc hydram conterendam nondum par fuerit, medici tamen in usu artis probe versati, vires hostis vitam aegri obsidentis, imminuendi spe consolantur. Consilium igitur est tempus, discriminis sane plenum, quô, regimen morbo huic gravissimo, aut remedium, aut vim afferat, prout rite vel perperam institutum fuerit, perpendere.

Quanquam nulla aetas, corporisve habitus phthiseos impetu prorsus immunis sit; certâ aetate, certoque corporis habitu, homines quosdam ei magis obnoxios fieri, medicos neutiquam latet. Cum iniens phthisis ad morbos acutos pertineat, et eo vitae tempore, quo plenitudo arteriarum hujuscemodi malis maxime favet, prodire soleat; inde fit ut ab anno aetatis decimo octavo ad trigesimum quintum saepissime adoriatur.

Corporis statura gracilis et procera, pectus angustum, collum longum, cutis alba et mollis, tunica adnata, praeter solitum nitida, vox clara et tenuis, fibrae musculares ad quaslibet commotiones suscipiendas pronae, sensus acriores, et summa ingenii alacritas, statum corporis ad phthisin maxime propensum denotant. Hae corporis proprietates congenitae, aut in foetum impressae, proclivitatem huic morbo haereditariam praebent.

Vires corporis nimis cito exhaustae; spirandi difficultas ex ascensu acclivi, vel itineribus asperis, vel aeris statu nimium tenui;

nimiave cibi ingurgitatione proveniens; haemorrhagiae e naribus, vel sanguinis exspuitio, exercitationi modicae, vel aeri nimis calido superveniens, non solum corpus phthisi obnoxium, sed ipsius morbi adventum plane testantur.

Cum corpus plenum incrementum jam adeptum est, et arteriae viribus quibus distenduntur haud amplius cedunt, dum venae majori vi solito renituntur, non perdifficile erit intellectu, quamvis eadem sanguinis copia remaneat, et cordis vires haud multum auctae fuerint, plethoram fugacem fieri, quae tamen haemorrhagiis sponte obortis, brevi plerumque tollitur. Haec enim vasorum plenitudo, modo valetudo caeterum bona fuerit, et nulla adsit proclivitas ad phthisin, novis vasis evolutis, et minore venarum renixu, sine ullo sanitatis detrimento evanescet.

Haud inutile prorsus erit hoc loco notare, plethoram arterialem in provectiore aetate sponte submoveri, prout venarum renixus tolluntur, et libramen inter vasa haemataphora

stabilitur. Porro hic narrare licet mutationem quam subit corpus prout homo in longitudinem exporrigi desinit, et in latitudinem evadit.

In ea sum sententia, an recte, nescio, rationem quâ, elongationes et extensiones laterales vasorum inter sese fiunt, non mutari posse, in delicatioribus, nisi maximo detrimento, quod fere semper longitudinem magnam corporis subito attingentibus evenire solet. Ex hac causa saepe fortasse oritur morbus, de quo sermo nunc habetur.

Si pravus corporis habitus, vel fortuito contractus, vel a parentibus ortus, non subesset, phthisis nil praeter simplex pulmonum ulcus haberi posset: E corpore autem labe inquinato speciem adeo malignam induit, ut signa ejus solummodo mitigare detur, morbum enim radicitus tollere vetant leges quibus corpus humanum subjicitur. Peculiaris nempe est habitus corporis phthisi favens, et primis rudimentis proveniens.

Medici, qua decet cura, ad hanc proclivitatem minuendam strenue annisi sunt. Scriptis et sententiis horum, qui phthisi maxime incubuerunt, collatis, regimini antiphlogistico mature et constanter adhibito, donec aetas phthisica praeterierit, plurimos suffragari patebit. Diaeta, lacte et vegetabilibus confecta, modica et quotidiana exercitatio, et fortasse sanguinis detractio certis anni temporibus instituta, multos e lethi faucibus eripuit, quibus diversa tractandi methodus mortem intulisset.

Sed in dubium a quibusdam vocari solet, utrum aegri, hoc modo, ad sanitatem perducti, malis e labe phthisica, vel ex aliis causis provenientibus objecti fuerint. Haud autem negari potest hujusmodi regimen viribus, quibus natura in organis corporis animalis perficiendis utitur, parum convenire.

Observatio nos docet naturam in membris juniorum animalium evolvendis, a valida et constanti exercitatione, simplici nutrienteque victu auxilium petere. Huic autem vitae

degendae rationi, vita sedentaria, et regimen legibus astrictum, omnino repugnat. Hinc, natura reddit corpus vegetum et robustum, ars vero molle et infirmum.

Regulae generatim traditae errores in medicina haud semper innocuos pariunt, et morborum diagnosis neglecta, vel minus accurate intellecta, aegris gravissima damna saepe attulit. Cuivis vel leviter reputanti perspicuum erit, viam a natura quasi institutam, in multis exemplis, egregie esse profuturam, dum in aliis tantum abest ut in salutem cedat, quin potius insigniter nocuisset.

In hac parte hujus opusculi quae de proclivitate et prophylaxi phthiseos agit, melius profecto erit ut a prima aetate incipiamus, quo regiminis instituendi ratio clarius elucescat. Hoc vitae tempore, ut pectus formationem secundae valetudini congruam adipiscatur, quantum fieri potest, enitendum. Nil forsan vetat quo minus spem foveamus a natura sibimetipsi relictâ omnia corporis membra et organa probe esse evolvenda; vi-

res, quibus corpus instructum est, regimine minus idoneo prosternere, certe parum conveniret.

Timent nonnulli ne partes corporis solidae justo firmiores factae ad inflammationem suscipiendam nimis pronae evaderent. Memoria autem tenendum, nos ante decimum octavum aetatis annum inflammationi minus esse obnoxios. Nonne infantes monticolae et rure degentes robusti admodum, et optima valetudine fruentes, nil hujusmodi esse timendum aperte docent? Impuberes quorum pectoris formatio parum timoris incutere solet, regiminis legibus haud stricte cohiberem, et nullo fere cibi genere quod senibus conveniat, illis interdicerem, donec annum decimum sextum aetatis adepti fuerint; liquores autem fermentati, vita sedentaria, et omnia quae membrorum prohibeant incrementum, sedulo vitanda. Ludi vero qui, respirationi inservientes, musculos exercent, suadendi: huc, prae ceteris, aequitatio, ambulatio, et natatio spectant. E supra dictis quam pessime pueris consulant praeceptores, eos, dura lege, co-

ercentes, satis patebit. Mens enim, haud secus ac corpus, crudeliter detinetur, dum, per plures horas, supra sedem defixi, notionibus saepe abstractis, temere imbuuntur. Haec certe disciplina, aeque saeva ac inepta, exprobationem acerbam efflagitat.

His objici potest pueros delicatiores vitae duriter agendae impares esse: Sed, si ab ineunte aetate, tali vivendi rationi assueti fuerint infantes, nulla est causa cur noxios effectus timeamus; et certe, hoc vitae tempore, maxime enitendum est, ut homines validos et robustos praestemus.

Sub hoc capite, non recenseo juvenes 18 aetatis annum adeptos, et jam evidenter phthiseos symptomatibus correptos. Hoc regimen illis minime convenire potest, et praescribere debemus diaetam mediocriter nutrientem, exercitationes, et, si opus sit, venae sectionem.

In hac aetate, non detrahendus est sanguis ob quantitatem sanguinis in corpore, (non enim semper abundat), sed ne renixus

venarum nimis augeantur, et plethora arterialis inducatur. Proderint etiam frictiones, sanguinem in venas propellentes, et renixuum venarum vim, superantes. Frigora praesertim evitanda, nempe spasmum cutis excitant, et malum magnopere augent. Hinc, corpus tegi debet vestibus laneis, ne caloricus evaporet: sed quod melius erit, aeger noster, in regionem calidorem advolare debet. Nunc, morbum et varias ejus species breviter describere, haud abs re erit.

PHTHISEOS VERAE HISTORIA.

Corporis macies, debilitas, tussis, puris expectoratio, et febris hectica, adsunt. Primus hujus febris paroxysmus circa meridiem adoritur, hora quinta pomeridiana, abiturus, alter, brevi post prioris discessum invadit, ad mediam noctem et nonnunquam usque ad secundam horam matutinam perstat, et sudore, per totum corpus plerumque diffuso, interdum vero e capite et pectore solummodo

erumpente, solvitur. Aeger, nunc a malis requiescit, meridie autem subsequente, hectica solitum cursum conficit. Secunda febris remissio, vespere adveniens, brevior et minus perfecta est.

Tremores, vel frigoris sensus, modo totum corpus, modo dorsum tantummodo occupans, hanc febrem saepe comitantur

Pulsus, ineunte paroxysmo, parvus, debilis, et citatus est, pulsuum numerus saepe superans centum in sexagesima parte horae. In intervallis aeque exilis ac contractus est, et fere semper celer. Cutis, et praesertim manuum palmae pedumque plantae, urgente paroxysmo, moleste calent et arent.

Facies, si malas excipias, fere pallida est. Tunica conjunctiva oculorum margaritarum albedinem aemulatur.

Urina, sedimentum lateritio-furfuraceum demittit, cujus, una pars in medio fluidi natat, altera fundum vasis petit.

Quanquam morbus quotidie ingravescat, functiones ventriculi, facultates mentis, ac generandi organa, non pariter ac vires corporis labefactari videntur. Tussim aegrorum, quorum pulmones vitiati, maxime movet coeli temperiei frequens mutatio. Frigus asperum hos magnopere tentat, spiritus crebrior etiam fit, maxime si per acclivem locum ambulent, et statim post cibum.

Remittunt interdum morbi symptomata graviora, sed post intermissiones aliquas breves, tussis vehementior redit cum angustiae sensu, circa praecordia, et spiritu crebro ac sonoroso. Raucedo, summa debilitas, et macies nunc cito superveniunt, et in faeminis menstrua supprimuntur.

Nunc etiam dolor constans e sterno ad dorsum pertransiens, adest, veluti linea transversalis a qua quidem laboriosa, quasi suspensa, videtur respiratio. Interdum me tum incutere coepit dolor lateris, qui tam magnopere tabescentem infestat, ut vix ei concessum sit latere affecto decumbere. In

hac luctuosissima facie denique addenda sunt signa pessima, scilicet, motus arteriarum maxime concitatus, sputa purulenta, spiritus creber atque difficilis.

Tabescens, tantis malis obsessus, diu vivere non potest, et reliquiae virium tenuium, sub tanto infirmitatis pondere pressae, succumbunt. Diarrhoea, sudores colliquativi, mors spsa nunc prae foribus adstant, et medici morbi lethalis progressum sic otiose vident.

Etsi haud leve discrimen sit inter causas e quibus oboritur phthisis, reperiemus, tamen morbus idem, pulmonum ulcus scilicet, ex his utcunque diversis progignitur. Recte igitur plerique medici has divisiones afferunt, quae quidem mihi videntur optime institutas fuisse, propter commodum quod exinde praxis percipit, et delucidationem. Si hoc vitium facilius discuti potest in iis qui ab omni labe strumosa liberi sunt, quorumque pectora bene constituta, nostra multum refert, quippe non paululum ad sanationem morbi conferat, recte dignoscere temperamentum, aetatem, habi-

tum aegri, causam, concursumque phthiseos, cum aliis affectionibus quibus corpus infestatur.

Nunc itaque describam varietates morbi quae saepius in conspectum veniunt. In nonnullis concursus morborum invenitur; sed de his, ubi malum vel ortum est, vel inveteravit a lue venerea, vel quovis alio morbo, de illo posthac breviter dicemus.

Hic recencenda sunt,

Phthisis a peripneumónia,
Phthisis ex adhaesionibus,
Phthisis tuberculosa,
Phthisis ab haemoptoe,
Phthisis a materia irritante,
Phthisis exanthematica,
Phthisis asthmatica.

DE PHTHISI A PERIPNEUMONIA, NECNON EJUS CURATIONE.

Quomodo intelligi debeat, et ex qua causa proveniat haec species phthiseos, ex titulo ma-

nifeste apparet: nec nunc sermo habetur de modo pneumoniam debellandi. Agimus potius de exitu inflammationis qua pulmones laborabant, vigente pneumonia. Sputa sanguinis, spiritus creber, febris lenta, tussis valida, ulcera fortasse jam adsunt, et fatendum est, quamvis haec symptomata non semper impediant quin aegri ex tam periculoso morbo convalescant, signa tamen molestissima phthiseos evidenter adstare.

Consilium igitur est tussim lenire, inflammationem, si ipsa tamen maneat, auferre, febrem et dolores mitigare, denique victus rationem sic constituere, ut solicite vitentur omnia quae vel irritationem novam inducant, vel vires corporis nimis praecipitent. Sperare licet, et haud pauca exempla testantur, sanitatem his aegris, si corpus adhuc firmum, et labe strumosa nullo modo infestatum, omnino reddi posse.

Quae ad sanationem pertinere videantur de iis dicere volo, et cum a me duo jam absoluta sint, primo, ut aetas et temperamentum

consultentur, deinde ut sustineantur vires, restat tertium, symptomatibus vehementioribus morbi leniendis providens.

Si aeger juvenis, si compagem robustam habeat, si urgeat tussis, si plethora adsit, qua morbus insidet et fovetur, quantum in nobis est annitendum, ne magis augeantur motus arteriarum, tussis, et calor febrilis, ut evenire solet intempestivo usu remediorum stimulantium. Vera curandi ratio in eo consistit, ut semper ad conditionem morbi dirigatur. Utile igitur erit nunc praescribere digitalem, nitratem potassae, serum lactis, antimonialia, diluentia, denique opiata, si valde inquietus sit aeger. Ad tussim mitigandam nil profecto melius proderit quam inhalationes tepidae: bene huic inserviunt usui quies et somnus, qui dulciter ad vires reparandas conferunt, et opiatis semper promovendi sunt, nisi naturaliter et sponte aegrotans reficeretur; cui etiam, lac asininum, cibi ex gelatine confecti, juscula, et similia quaecumque suavia proderunt.

Ubi vero jam inflammatio, per venae sectiones, perque alia auxilia, quae ad pristinam affectionem auferendam, instituta fuere, penitus amota est, ut jam quodammodo mitescere tussis, dolores pectoris, et febris videantur, tum reliqua symptomata, et præsertim debilitas, cibi fastidium, et expectoratio, vel omnino evanescant, vel saltem remediis tonicis cedant, curandum. Necesse enim est evacuationibus tribuere jus ac spatium, et postquam hae rite peractae fuere, et omnia illa mala amota quae febrem et tussim fovent, tunc vires recolligere concessum sit, ad quod a natura ipsa edocemur. Huic nil magis convenit quam diaeta nutriens, acida mineralia, medicamenta amara, ut infusa colombae, anthemidis nobilis, et gentianae luteae. Neque si haec successu caruerint, diu abstinere debet aeger a novi aëris influxu, et exercitationibus levibus, ac in harum omnium usu persistere oportet, donec vires et salus penitus reducantur. In memoria teneamus laedere posse motus et exercitationes quantumvis non vehementissimae, cum corpus plus aequo exagitent, et id inordinate commoveant. Itaque

sit nostra cura, ne vires potius praecipitentur, quam juventur his auxiliis. Tamen nunc instat tempus quo paulatim viribus amissis restituendis et fortioribus reddendis operam dare debemus. Felix, si valetudo non tam attrita fuerit dum morbus pristinus propulsus est, ut medicus nunc solummodo solicitus esse debeat de viribus sustinendis et retinendis.

Cavendum est ne nimium properemus in adhibendis tonicis, attamen fatendum, his remediis nunc neglectis, augeri debilitatem, sputa magis copiosa fieri, vocem nec fortem ut antea edi, caput valde dolere, irritos vomendi conatus, febrem et spiritum crebrum accedere, in quo statu aeger invita non diu manere potest. "Sed, ait antiquus, omnibus communiter convenit, fortitudinem per nutrimenta praestare, facile enim correctio partium depulsa passione fit, cum corpus fuerit naturali fortitudine possessum."

Si fortasse curatio non omnino succedat ex sententia, aut levis aliqua mutatio conse-

quatur, modo febris hectica, aut grave malum non sit, non propterea a praescripto discedendum. Reperiemus victus rationem supra dictam optimum auxilium futuram, sine qua, medicamenta interdum non solum parum efficacia, verum etiam noxia sunt; sed cum nondum difficultas spirandi, et tussis plane remittant, cucurbitulas scapulis, vel fonticulum lateri, adhibere, convenientissimum videtur.

Igitur in diætae nutrientis ratione congrua, tempore quo, designavi, adhibita, non exiguam spem sanationis collocandam teneo. Ægrum utpote juvenili aetate constitutum, bono satis corporis habitu praeditum, hac methodo curari posse omnino sperandum. Secretiones sic rite peragantur, functio cutis promovebitur, expectoratio minore quantitate ejicietur, et ulcus pulmonum vel sanabitur, vel quasi per fonticulum promanabit. Neque est quod vereamur ne per totam vitam morbus non sileat.

DE PHTHISI EX ADHAESIONIBUS, NECNON EJUS CURATIONE.

In morbis acutis pectoris, pleuritis et pneumonia videlicet, adhaesiones saepe fiunt, et saepe conglutinantur pulmones et pleura costalis.

Nullam certam notionem tradunt medici de hac affectione, quoad curationem autem, ubi de interno phlegmone docent, nulla difficultas unquam extitit. Laesa membrana, quae thoracem cingit, spiritus fit frequens, dolores et tussis cito superveniunt, sequuntur febris, ac interdum haemorrhagia. Dolor pungens vel hebes, febris fortis vel levis, tussis valida vel mitis, testantur malum grave et acutum, vel leve, hanc membranam obsidere.

Est autem hic morbus phlegmon praecipue; sed etiam ad aliud morbi genus referri

potest. Periti non ignorant aegros saepe laborare lateris dolore et tussi, praegressa vix ulla febre, et quam difficilis sit curatio hujus mali, praesertim si conglutinatio impediri non possit, plurima exempla quotidiana testantur. Ineunte morbo, et cum malum non sit admodum vehemens, aegri rarissime a medico consilia flagitant; saepe tamen brevi tempore ingravescit, et radices altius in corpore agit.

Cavendum imprimis ne inflammatio superveniat, ne tussis invalescat, quamvis fatendum sit, in exactissima medendi ratione symptomata verae phthiseos (nempe sputa cruenta et purulenta, spiritus crebros, febrem hecticam, tussim vehementem, et summam maciem) saepe consequi. In hoc statu, si aeger labe strumosa inquinatus sit, haud dubitandum quin tubercula jam pulmones aggressa sunt.

Scio hic varie disputare doctissimos medicos de presentia labis strumosae in pectoribus bene constitutis, ac sunt qui affirmant hanc speciem morbi eos non invadere: sed

haec persequi non est nostri instituti, cum sententia communis, et rationi consentanea sit, remedia eadem semper in utrisque esse adhibenda.

Quicunque autem frequenter catarrho et tussi vexatur, et angustos habet pulmones arctumque thoracem, ad adhaesiones opportunior est.

Pergo ad medendi rationem, in qua triplex indicatio proponitur. Impedire quo minus adhaesiones subito dilacerentur, nam ruptura partium conglutinatarum inflammationem, febrem, tussim, fortasse suppurationem excitabit. Cavere, ne adhaesiones novae superveniant, vel pristinae ita augeantur ut in ulcera abirent, quamvis fatendum sit curationem spontaneam hoc modo peragi posse. Mulcere dolores, febrem tussimque lenire, denique vires restituere.

Imprimis, aegri evitare debent, ut mihi videtur, sed judicent periti, omnia corporis vehementiora exercitia. Evidenter patebit

incessum velocem et vehementem sanguinis in pulmonibus nunc summopere nocere, adhaesiones scilicet lacerando: itaque cavendum est ne sanguis nimio impetu in hoc viscus adfluat.

Tunc instituatur tenuis victus ratio, qua, nil opportunius excogitari potest, vel ad motum jam concitatum arteriarum, amovendum, vel ad impediendum ne plethora tam magnopere verenda, superveniat.

A vino ac omnibus irritamentis abstineat aeger. Quicunque enim hujusmodi affliguntur affectibus, ipsa edocti experentia, comperient, maximum esse tussi et doloribus sedandis praesidium, si ab omnibus stimulantibus temperent, abstineant, et tenuissimo victu utantur.

Quod vero ad sanguinis missionem attinet, si corpus plethoricum sit, vires sint validae, et dolor valde urgeat, aperienda est vena sine mora; non tamen sanguinis magna copia haurienda est, sed quantum aetas, vires,

consuetudo, morbique cursus ac magnitudo id postulare videntur. Universalibus rite administratis ad localia confugiendum est, quibus remediis alia symptomata mulceantur. Est enim interdum dolor acutus, totam fere ad se curationem trahens. Imponendum est parti dolenti epispasticum, et si opus sit, hirudines admovere proderit. Opiata ac alia jam dicta aegro levamen etiam praebebunt.

His nunc traditis medicamentis, pro opportunitate aliquid adjicere, ut digitalis et antimonium, vel imminuere, ut opiata, licebit

Nil his melius me noscere fateor. Indicationibus his igitur primo adimpletis, sum in ea sententia, corpus tuto corroborari, cum jam symptomata graviora penitus summota fuerunt. Facile innotescit a pulsu et spiritu, a tussi et febre, an tempus adsit dietam nutrientem praescribendi. Ex illa nempe, in infirmo valetudinis statu post morbos graves superveniente, magnum sane beneficium; sed officium certe est medici respicere, ut sit hujus auxilii longus et diuturnus usus. Tum

etiam sequeretur exercitium corporis aliquod, citra lassitudinem tamen, ut citius suscitarentur et recolligerentur vires.

DE PHTHISI TUBERCULOSA, NECNON EJUS CURATIONE.

Aliquid nunc adjiciemus de phthisi a labe strumosa proveniente, et ut de proposita affectione correctius judicium fieri possit, utile erit, eam in quatuor divisiones afferre, videlicet, in phthisin incipientem, vel ubi adest maxima proclivitas ad phthisin, ubi jam adsunt tubercula, ubi haec in ulcuscula abiissent, denique, ubi omnia illa sinistra symptomata phthiseos confirmatae manifeste apparent. Verum, cum jam late progressum et diffusum est malum, ut ex indiciis, alio loco, allatis, patet morbum ad secundum gradum evidenter pervenisse, cavendum est ne inflammatio augeatur, ulceratio inducatur, et natura insuperabilis evadat.

Duo porro in curatione consideranda. Quidam medici morbi sanationem emeticis aggrediuntur, sed asserunt alii omnia quae irritationem excitant, vel valetudinem multum perturbant, sedulo evitanda. Cum autem hi, non vulgari doctrina imbuti, priorem curationem laudant, et distincte diathesin inflammatoriam dignoscant, eam, ut rite discernant, moneo, ne incauta adhibitione emeticorum et stimulantium, hanc diathesin, tam magnopere timendam, augeant, vel inducant.

Caeterum quia intellexi inflammationem fere semper esse comitem tuberculi, refrigerantia manifeste postulantem, haec et pauca praeter a me adhibita fuere. Symptomata varia quae in decursu morbi superveniunt, scilicet, nunc sputatio sanguinis, nunc respiratio maxime angusta, nunc febris, nunc sudores, summa macies atque debilitas, ad se remedia specialia trahunt. Ex his patet summam quietem, tenuemque rationem victus valere, modo exercitia, modo diaetam nutrientem, ac roborantia.

Etsi autem quidam medici, fiduciam in aetate et viribus aegrotantium collocantes, liberius irritamenta prescribant, non est tamen idem corpori debiliori concedendum, quod robustiori et valentiori.

Ex sententiis multorum virorum in nostra arte illustrissimorum, emetica plurimum ad sanitatem tuendam momenti habent, adeo ut aiunt ii, aegri qui haec sumunt et modum ordinemque in caeteris servant, etiamsi cibis nutrientibus vescantur, tamen melius se habent quam alii qui in victu tenuissimo temperanter vivunt, et remedia refrigerantia largiter hauriunt.

Sed in ea sum sententia, magnam mitigationem symptomatum non sperari posse ex usu emeticorum, nisi ad hoc remedium confugeremus priusquam vires debiles essent, et diathesis inflammatoria appareret. Addendum est etiam, si satis justum intervallum inter singulas doses non concedatur, pulmones necesse pati a commotione vehemente tam saepe repetita, et consentiente dorso, ac cae-

teris vicinis partibus, lumbis nempe, etiam quae circa costas sunt, dolores per totum pectus ad humeros usque extendantur. Ex hac causa anxietas haud raro infestat aegrum, et si nunc adsit inflammatio, pulmones tanto pondere pressi, difficillime respirationis munera peragant.

Confiteor a me semper adhiberi illam cautionem, ubi diathesin inflammatoriam suspicor, ut eam quamprimum sedeam diaeta et remediis antiphlogisticis: in his recte atque ordine praescriptis tota sanationis ratio solum consistit. Cum autem in accuratissima etiam victus ratione, saepe aliqua inflammatio, vel in tuberculis ipsis, vel partibus vicinis adsit, opera danda est ut amoveatur iis remediis quae antea proposuimus. Hic repetere licet maxime convenire digitalem, et balnea tepida: functio cutis sic promovebitur, et spasmus qui saepe impedit ne facile eliciatur sudor, vel peragatur respiratio, resolvetur. Alia etiam praeterea observanda sunt quae valetudini inserviunt. Alvi levis evacuatio, aër salubris, surrectio matuti-

na, exercitia, maxime utilia in curatione hujus ambigui morbi.

Declamatio, cantus, nervos pulmonum irritando, evitari debent tanquam perniciosa: attamen in dubium semper vocari potest aegri obedientia in his non levibus rebus.

Compertissimum habemus hac sanationis ratione, non paucos, saevo hoc morbo, conflictatos, restitutos, et etiam ad senectutem pervenisse.

Si vero in decursu morbi tam valida et vehemens sit tussis ut haemorrhagia metuatur, ad venae sectionem statim veniendum, nempe missio sanguinis tussim consopiet, et alia timenda mala sape penitus praeveniet.

Jure nunc concludere possumus, sub initio morbi, curationem sumendam esse a regimine antiphlogistico: procedente vero tempore, mutanda est ratio: diversa remedia tunc adhiberi debent, et non modo nullam

noxam affert diaeta nutriens, verum salutare et optimum est auxilium.

Ostendimus hactenus brevem methodum coercendi secundum gradum phthiseos tuberculosae, restat ut agamus, paucis verbis, de corporis constitutione peculiari qua hi aegri interdum praediti sunt. Regulae certae quoad curationem non semper tradi possunt; etsi vero in libris methodus sanandi phthisin absolute tradita sit, tamen manifeste patet, oportere, et id omnium fere morborum rectam curationem facere videtur, temperamentum auscultare. In uno, summa est debilitas dum phthisis invalescit, in alio saepe plethora adest, dum in tertio peccat irritatio.

Tamen autem objiciunt nobis qui adversantur huic sententiae, curationem nunquam dirigi ad fibrarum atoniam etsi ex hac causa manifeste saepe ingravescant tussis, dyspnoea, debilitas, et affluxus humorum serosorum in pulmonibus.

Sed haec indicia morbi ingravescentis perpendi certissime debent, et nunc magis valebit *toti systemati* consulere, ne vires ulterius dilabantur. Exercitatio, aër siccus, diaeta nutriens, remedia amara, cum corpus roborent, utilissima hic esse censemus. Alvus ut laxa servetur annitendum, et quod ad reliqua praesidia attinet, exulcerationem diuturnam, super pectus, debito modo, instituendam, esse confido.

Nec metuenda in his aegrotis, inflammatio et sputa cruenta, haec si fuerit curatio. Nihil in se habent quod nunc diathesin supra dictam inducant, et nisi jam extiterit ipsa non parum profitura haec methodus. Medicis notissimum est non prodesse ea remedia in thorace arcto, vel in illa affectione peculiari, contractione spasmodica arteriarum pulmonum scilicet proveniente.

Pergo ad tertium gradum. Si morbus altas radices egerit in corpore, et si ulcus manifesse adesset, necesse est conditionem vi-

rium, magnitudinemque diathesis inflammatoriae praecipue respicere.

Si adsit haec diathesis, eadem observanda, quae in ejus curatione antea laudata fuerunt. Sin contra, vires tantum dilabuntur, desperare vetat victus ratio nutritiva, de salute aegri. Irritamenta, venena potius, evitari debent, et tunc, quamvis ulcus strumosum pulmones vitiaverit, morbus intra limites coerceri potest, et tabescentem diu in vita manere.

Quin vero in ultimo gradu nihil nobis infeliciter restat nisi recte adimplere indicationem palliativam.

DE PHTHISI AB HAEMOPTOE, NECNON EJUS CURATIONE.

Non semper metuenda sputa cruenta quamvis manifeste appareret tale sanguinis profluvium ex pulmonibus provenire. Non

nego quin interdum sequatur phthisis, sed verum est etiam, sanguinis sputationem saepe indicium ac quasi remedium spontaneum esse plethorae. Interdum magis, interdum minus viget, nunc plethora, nunc structura delicatior pulmonum peccat, nec eadem est semper corporis dispositio, in eodem aegro, ad haemorrhagiam promovendam: unde fit ut non eundem, omni tempore, medicamenta effectum sortiantur.

Phthisis ab haemoptoe has diversas causas agnoscit; extrinsecus, vulnus pulmonibus inflictum: commotio vehemens aëris bronchiis incidentis: materiae acriores membranam bronchiae laedentes; intrinsecus, ruptura partium nonnullarum conglutinarum in thorace: textura rara pulmonum, praesertim in faeminis delicatioribus, et plethora denique.

Quaeritur quid agendum in hac specie phthiseos? Duae sunt indicationes adimplendae, altera prophylaxis, ne morbus altas radices agat, altera curationis, vigente phthisi.

Prophylaxis tota consistit in amovendis causis, scilicet, plethora, debilitate, et adhaesionibus. Id fit corpori libramen justum dando, irritamenta et plethoram, si peccant, auferendo, vires, si deficiant, suscitando.

Nunc de curatione, sed pauca a me hoc consilio scribentur, et breviter dicam si haemoptysis sit phthiseos symptoma, ut saepe evenire solet, respiciendum ad praedicta ut videamus quomodo se gerere medicus debeat. Si a plethora, secanda vena, affigendae cucurbitulae, praescribendus victus tenuis. Si a debilitate, adhibenda astringentia, diaeta nutriens, opiata: si ex vulnere vel commotione aeris, impedienda inflammatio venaesectionibus repetitis, quiete, victusque tenuissima ratione.

Nonne utile eos haemoptysi addictos fluidorum usum prohibere? Ubi jam adest magna copia sanguinis, vasa parvula in organis utpote in aliis partibus corporis valde distenduntur; ex qua causa, praesertim si dispositio haemorrhagica adsit, superveniunt sputa

cruenta, caeteraque tam timenda mala in phthisi pulmonum.

Etsi diathesis haemorrhagica, vel in structura rara solidorum, vel in eorundem atonia, vel in habitu peculiari pulmonum constat, nonne evitandae distensiones quae provevenire solent a nimia abundantia vel tenuitate sanguinis?

Quandoquidem hic morbus initium habet ex plethora, manifeste patet ratio medendi; attamen facere non possum quin putam curationem in plerisque ejus varietatibus quantitatem usitatam potulentorum minuendo, instituendam esse, ita ut impetus et copia sanguinis vasorum dilitationem quam minimam inducat. Quanta differentia inter hanc ac usitatam medendi rationem intercedit, non ignoro, et mihi non licet ab experientia statuere, sive haec vel illa anteponenda sit.

DE PHTHISI A MATERIA IRRITANTE, NECNON EJUS CURATIONE.

Sunt quidem opifices, prae aliis hominibus, phthisi pulmonum, opportuni. Cum vero causa est praesens, scilicet materia acris ex metallis saepe proveniens, aspera arteria et bronchiae irritantur. Habet autem haec affectio phthisica quasi quosdam gradus, paulatim increscens. Ineunte morbo, modica tantum fit spirandi difficultas, quia mutatio non usque adeo magna pulmonibus facta: ideoque respiratio peragitur sine magna et crebra anhelatione, nec ibi unquam metus est strangulationis ut in asthmate. His signis facile dignoscitur uterque morbus.

In ea sum sententia, cum per hos meatus nec aër libere inspirari, nec spiritus expirari possit, esse veram causam phthiseos, spasmum ab irritatione, pulmonibus insidentem, arguuntque eandem rem ea parvula viscida quae exspuuntur.

Aiunt quidam, calculos saepius extussiri in hac affectione quam in omni alia specie phthiseos, sed de hac re judicent periti.

Invalescente morbo, in pectore ipso sentiuntur dolor et gravitas, quasi quoddam pondus premens: inde fit molesta partium thoracis coarctatio: respiratio fit parva, densa, crebra et velox: viscidi humores et postea pus, tussi ex pectore rejiciuntur: vox rauca est, febris hectica vires premit, et diu in vita homini manere non concessum est.

His peractis ad curationem me confero. Primum operam dare oportet ut quae molestare solent causae quam primum subleventur, ne paulatim altius se in bronchias fingant, et pulmones ipsos premant et vitient.

Cumque indies affluant plura quae pertinaciter tracheae et faucibus inhaerent et eos irritant, emetica conducunt; per nullam enim viam promptius hae partes ab earum onere liberari possunt: Attamen non temere eme-

tica usurpanda, et ea saltem in usum afferenda quae non sunt vehementia. Saepe etiam inhalationes tepidae et venae sectiones sub initio morbi permultum leniunt pectus. Prosunt mechanice, demulcentia, praecipue epiglottidem et fauces amiciendo ab materiarum acrium actione. Quod autem ad cibum et potum attinet, meliore valetudine fruuntur aegri frugaliter viventes: sed procedente tempore proderit adhibere dietam nutrientem et remedia roborantia ut institui possit variatio, qua gaudere naturam nemo ignorat.

Si morbus denique impetuosus corpus miserabiliter concutiat, si ingens sit virium prostratio, et si omnia symptomata valde exasperentur, deinde adhibenda sunt ea quae antea in ratione et curatione phthiseos ad hunc gradum provectae, enumerata fuerunt.

DE PHTHISI ASTHMATICA, NECNON EJUS CURATIONE.

Quicunque frequenter tussi et catarrhis vexantur, pulmones angustos habent, et paroxysmis vehementibus asthmatis infestantur, phthisi opportuni sunt. Attamen horum omnium illi maxime ad asthma proni sunt, qui tales cum sint ad senectutem vergunt. Contra, facilius phthisin incurrunt qui juvenes sunt: nec paululum proderit in curatione hoc discrimen inter hos morbos respicere.

Ob longitudinem et contumaciam paroxysmi in asthmate inveterato spiritus quasi interclusus est, quam ob causam demum asphyxiam aegro minatur. Inde oriuntur circuitus sanguinis irregularis ac impetuosus, inflammatio, suppuratio denique pulmonum.

Quidam dicunt, an recte nescio, quod asthma vel vehemente in paroxysmo occidat,

vel in phthisin dilabatur. Calculie pulmonibus horum asthmate correptorum pisi parvuli magnitudine, saepe extussiti sunt: et saepe etiam superveniunt omnia symptomata verae phthiseos.

QUAMVIS asthmati sint plerumque obnoxii fortes robustioresque, interdum debiles hoc malum aggreditur, interdum solummodo est symptoma hypochondriasis.

IN asthmaticis adest potius difficultas spirandi quam dyspnoea: sed ex dyspnoea interdum, procedente tempore, verum fit asthma, nempe respiratio peragitur cum sono et anhelatione densa ac crebra. Est enim tunc ita difficilis spiratio, ut si cursus sulummodo fiat citatior, metuenda sit suffocatio: deinde fortiter edi solet sonus ex thorace, scilicet sibilus tenuis, stertorem referens.

VENIENTE prorsus asthmate in phthisin, non amplius redeunt tussis, spirandi difficultas et dolores per intervalla: nunc enim omnia molesta semper adsunt cum motu arteriarum

concitato, febre hectica, et infaustis similibus. Hic non attingam curationem asthmatis, sed curationis phthiseos ratio sic erit instituenda, ut plethora, irritatio, debilitas, dolores ac tussis, propriis remediis de quibus jam locuti sumus, debellentur. Laudamus ut sanguis, si opus sit, evacuetur, vel ut diaeta nutriens, si vires tantum deficiant, adhibeatur. Urgente febre, si serum lactis optime paratum haberi possit, alternatim, nunc diaeta nutriens, nunc serum adhibendum, dummodo opiata, balnea, pectoralia, &c. ut res postulent, praescribantur.

DE PHTHISI EXANTHEMATICA, NECNON EJUS CURATIONE.

Saepe oritur phthisis ex variolis, rubeolis, ac aliis exanthematibus. Nescio, an in hoc loco, recenseri debet phthisis trachealis, quamvis non dubitandum sit quin interdum in ulcus pulmonum abeat. Ex eadem causa oritur pariter ac phthisis. Si aeger hac affec-

tione correptus sit, et proclivitatem phthisicam habeat, tabidus cito re vera fiet. Vehementia phthisis trachealis dignoscitur a respiratione, quae, prout plus minusve opprimitur, morbum majorem vel minorem manifestat. Non subito tamen invadit, et primum sentiunt aegri irritationem in trachea, non valde molestam; tunc sequuntur raucedo, tussis, puris expectoratio, febris, praegressis attamen nausea, capitis dolore, et corporis lassitudine. Invalescente morbo, pectus dolet, anxietas et gravitas circa praecordia sentiuntur, tussis et febris magnopere vigent, denique omnia illa infausta quae adstare solent in ultimo gradu phthiseos verae.

Nunc de curatione. Jam si ex dicto fonte verenda sit phthisis, habitum corporis quam primum emendare, imprimis per alvum et postea per cutem necesse est. Id porro cito et convenienter fit, ex consilio medici sagacis, medicamentis ex antimonio et hydrargyro, balneis, deinde et fonticulis, ac recta victus ratione. Sit diaeta, sub initio, simplicissima ne plethora superveniat.

Hic, fonticuli tanti sunt, ut multi his unice conservati sint ab adventu phthiseos. Praeterea in usu frequenti habere convenit, a consiliis quorundam medicorum, Decocta Sarsap. Comp. Digitalem, Acida mineralia et vegetabilia : tamen addenda his sunt etiam opiata et localia.

Ne officio meo videar defuisse, quaedam ad aliam curationem mali pertinentia perstringam. Si quidem hi aegri facile tabescunt, invadentibus nullis symptomatis inflammationis, capiant diaetam nutrientem, lac asininum simul ac emulctum est ; utantur omnibus cibis boni succi, tempore quo remedia adhibentur, ne vires penitus amittantur. In illis quorum corpora macilenta sunt, multum proderit hoc regimen ; evitetur ut maxime perniciosus, aër ventosus et frigidus : diligenter thorax pannis laneis muniatur, ne nimium frigeat : sit exercitium diuturnum, sine magna tamen corporis agitatione : sub ingressum lecti capiant aegri opiatum ad somnum dulciter promovendum : laudo denique pro nausea et inappetentia, ut quotidie

per plurimos dies utantur Infuso Colomb. vel Gentian. Lut. in quo adjicientur acidi Vit. Diluti guttas viginta pro dosi. Quod si vero jam adsint plurima symptomata phthiseos, confugiendum est ad omnia illa, de quibus sermo jam habitus.

DE PHTHISI SYMPTOMATICA.

Fatendum est, nec medicina peritos latet, pectus interdum morbis gravissimis infestari, phthiseos haud parum indicia referentibus, quamvis re vera, corpus infelici hoc morbo nequaquam tentatum fuerit. Nec dubitandum est quin ipsa phthisis saepe jungatur uni vel alteri ipsorum morborum, aegro duobus malis tunc laborante, diversa porro remedia postulantibus. Lubens concedo vim morbi, vires medicamentorum fere nunc semper superare, et in his exemplis nullum vix auxilium ars medica suppeditat, nempe suppuratio febris hectica, sudores colliquativi, mors ipsa jam adstant.

Attamen prima indicatio in hoc luctuosissimo statu in accurato discrimine morborum constat, et hoc solummodo adimpletur, characteres omnes verae phthiseos, necnon symptomata morbi comitantis, diligenter perpendendo: sed huc non referri solent illae affectiones quae gignuntur et proveniunt ex una parte (thorace videlicet) aliam in sui consortium trahente.

Hic recensere licet scorbutum, luem veneream, et rheumatismum, acutum et chronicum: alii etiam sunt morbi, quos praetereo, minus frequentes scilicet, sed sub hoc capite, locum merito indigitantes.

DE PHTHISI SCORBUTICA, NECNON EJUS CURATIONE.

Scorbutus pectus invadens a phthisi facillime distingui potest indiciis sequentibus. 1*mo*, Quia semper adsunt plurima indicia hujus morbi, quae, eodem tempore, totum corpus

tentant: sed interdum gingivae et halitus, saltem sub initio morbi, solummodo afficiuntur: illae tument et sanguinem saepe emittunt: hic foetet et brevis est. 2*do*, Si forte sanguis detractus fuerit, superficiei ejus cuticula coriacea non innatat: saepe dolent et rigent surae, adsunt debilitas, cibi fastidium, languores et animi dejectiones, et profunde rubra est urina. 3*tio*, Magnum discrimen interest hanc febrem inter et febrem hecticam, nullis intermissionibus videlicet interpositis. 4*to*, Pulsus in scorbuto semper debilis: in phthisi celer et contractus. 5*to*, Saepe adsunt maculae et ulcera faetida vel in corpore vel in extremitatibus.

Pauca nunc de modo medendi. Remedia tonica promptissimum et efficacissimum auxilium suppeditant ad debellandam phthisin hanc symptomaticam. Acida vegetabilia et mineralia, necnon alia medicamenta, antiscorbutica dicta: aër siccus, exercitia, victus ratio, sub initio ex regno vegetabili electa: denique amara, et diaeta nutriens optime pro-

derunt ad vires reficiendas et corpus ab hujus oneris pondere omnino sublevandum. Praeterea autem se sistunt aliae indicationes, notatu dignae, de quibus nunc dicemus.

Si adsint dolor pectoris et dyspnoea, quae saepe solent adstare, epispastica et linimenta stimulantia sterno admovenda sunt: si urgeant tussis et anxietas, et si aeger noctes insomnes ducat valde proderunt opiata: si, in decursu morbi, expectoratio humorum viscidorum difficile peragatur, ad remedia expectorantia ut Scillam Maritimam, Gum. Ammon. Ipecacuanham, et similia confugere debemus: denique si pulmones propter nimium sanguinis impetum laborant et doleant, cucurbitulae sine ferro vel cruentae inter scapulas applicandae.

Phthisis vera, aegro scorbuto laboranti, superveniens, et ad ultimum gradum provecta, per longum tempus, ut infeliciter solet, vix medicinae auscultat, " Tunc porro exhibeas etiam aegro illa, ut longiore tempore vivere possit, qui non admodum a morbo afflictus sit et debilitatus. Quin nec

hoc exiguum beneficium est, robur aliquod aegro accommodare, ne quid deterius experiatur."

PHTHISIS SYPHILITICA, NECNON EJUS CURATIONE.

Pauca nunc dicere licet de phthisi a lue venerea proveniente. Ex sententiis cl. Boerhavii ac Van Swieten virus hujus morbi pulmones aggredi potest: nec desunt alii eruditi viri qui etiam huic opinioni addicti sunt. Attamen in memoria tenere debemus medicos esse, haud parum arte peritos qui asserunt pulmones a lue venerea nunquam affligi.

Nemo tamen negabit hanc luem interdum sanare, vigente adhuc phthisi pulmonum, ex quo concludere possumus hunc morbum vel aliam causam agnoscere, vel jamdudum in suppurationem provectum esse, in quo casu diffi-

cillimum est sententias dilucidare, et de morbi natura recte judicare.

Nolo equidem de controversia medicorum loqui, sed facere non possum quin hic dicam ex mea experientia, ut quamvis lues venerea non specialiter pulmones invadere possit, a me visa fuisse omnia illa infausta symptomata quae phthisin comitantur tempore quo maculae, colore cuprum referentes, per faciem et corpus sparsae fuerunt, et dolores syphilitici aegrum cruciaverunt.

Quomodo, rogabo, se gereret medicus, si vocatus esset ad aegrum jam syphili et phithisi vexatum? An abstineret Hydrargyri usu quia vires sunt debiles, quia tussis et expectoratio vigent? Respondeo, Nullum nunc vix perfugium in medicina restare, et methodum palliativam, quum omnia ante praescripta vel parum, vel nil profecerint, solummodo infeliciter elegi posse.

Sin autem phthisis non adhuc ad hunc gradum pervenerit, curatio incipienda est

unctione mercuriali caute adhibita: verum enimvero cavendum est ne nimis vires minuamus: semper perpendenda sunt habitus aegri, sexus, aetas, et temperamentum: docet experientia, in aegro infirmo, caute nos uti debere huic remedio herculeo: interim non desperandum est, quoniam, si rite adhibeatur Hydrargyrus, ad promovendam curationem maxime proderit hoc remedium.

Nisi conteretur syphilis, quae spes est coercendi phthisin? Hic morbus fortasse paulum ingravescet ab irritatione Hydrargyri, sed melius profecto erit haec incommoda negligere, quam sanationem protrahere, nempe virus syphiliticus, vel sympathice, vel specialiter irritationem constantem in pulmonibus inducat. Sed peritiores judicent, an recte opinor, de adhibitione Hydrargyri. Operae pretium nunc est paucis designare adjuvantia. Si tussis viget, imponendum est pectori epispasticum, nec minus si inquietus sit aeger, proderunt opiata: diaeta nutriens etiam adhibenda ut facilius vires sustineantur. Necnon ex usu sunt enemata ad alvum, si opus sit, leviter sol-

vendam: nunc balnea tepida, nunc pectoralia.

DE PHTHISI RHEUMATICA, NECNON EJUS CURATIONE.

Morbi, articulos majores, infestantes, saepe viscera aggrediuntur, et prae caeteris pulmones. Interdum subito occidunt, nunc in asthma, nunc in phthisin abeunt. Nullum temperamentum, omnino ab eorum impetu, fortasse liberum, quamvis vix dubitare liceat quin debiles, quorum organa delicatiora et teneriora sunt, saepissime salutentur hac metastasi perniciosa.

Clare patet methodus medendi in hac nova affectione. Si incipiat a signis pyrexiae, dolore acuto sterni, dyspnoea et symptomatis illis pneumoniam referentibus, secanda est vena quam primum, et si opus sit, id repetendum. Vigente febre cum pulsu tenso, vibrante, et plethora vasorum pulmonum sa-

tis evidente, optimum auxilium nobis suppeditat venae sectio. Quo citius, uti haud absque ratione divinare licet, ineunte novo morbo, vel potius nova affectione, missus fuerit sanguis eo major erit spes curationem acceleratum iri. Si ad usum cucurbitularum cruentarum veniamus, et si sudorifica post alias pugnas cruentas adhibeantur, facilius promovebitur functio cutis. In hoc morbo indicatio secunda diaphoresin excitando adimplatur, nempe prorumpente sudore, calor auctus aufertur, et spasmi solvuntur. Huic inserviunt usui acetis ammoniae, pulv. ipecacuanhae et opii, infus. flor. sambuci, arctii lappae, diluentia, pediluvia, &c. Sub initio morbi, quamvis fortasse dentur exceptiones, regimen antiphlogisticum et medicamenta quae sudores eliciunt aptissime conveniunt: caeterum in decursu ejus, quum dolores rheumatici disparuerint, quum respiratio difficilis et tussis quieverint, denique cum febris evanuerit, tunc tuto et haud exiguo commodo diaeta nutriens, et medicamenta amara adhiberi possunt. Vix necesse est, ut dicam remediis tonicis non solummodo fidendum esse: sed

balnea tepida, opiata, frictiones etiam merito hic recensenda ad debellandas inquietudines e diversis causis provenientes.

Si podagra sedem suam habeat in hoc organo confugere debemus, ut docet Cl. Cullen, ad narcotica, epispastica, et antispasmodica.

PHTHISIS SPURIA.

Hic recensenda sunt illa mala in quibus sputa flava, tussis, et dolor pectoris manifeste existunt. Haec symptomata quum appareant, praesertim si adsit diathesis antea dicta, nullum relinquunt locum dubitandi quibusdam, quin vere in eo ipso consistat ipse, de quo loquimur, molestissimus omnium morbus.

Non, inquam, oportet nos contemnere et pro nihilo habere, hanc conditionem corporis, sed, ni fallor, in ea jam insunt solummodo dispositiones graves ad phthisin, vel potius adest nil nisi irritatio sympathetica pulmonum, et

quanta differentia inter utramque intercedat nemo nescit.

NONNULLA in hoc exempla incuriae ac erroris medicorum, in opere " de causis et sedibus morborum" Morgagni, et his temporibus profecto, nullus negare audebit, quin de diagnosi hujus morbi spurii, saepe in errorem inducantur medici.

NONNE pulmones suppuratione detenti, cadaverum inspectione, detecti sunt, quamvis apud aegros non clare apparuissent signa phthiseos in ultimum gradum provectae? Nonne pulmones saepe sani et integri reperti fuerunt, quamvis symptomata multa phthiseos supervenissent?

MORBI, quibuscum phthisis pulmonum confundi potest, sunt abscessus hepatis et splenis. In his adsunt febris hectica, dolores sterni, expectoratio flava, quasi purulenta, sudores, et difficilis respiratio: tamen fatendum est, licet hi morbi fere eadem symptomata inducant ac phthisis essentialis de qua in nos-

tro specimine sermo habetur, plerumque a sagaci medico, dignosci posse.

Postremo, sub hoc capite, recenseri debent Phthisis de qua loquuntur quidam auctores ex prava colluvie in ventriculo oriens, Phthisis Hypochondriaca, &c.; sed de hisce omnibus dicere nunc non licet: namque nec morbi sunt de quibus agimus, nec de his me loqui sinunt aut scopus, aut limites hujus tentaminis.

FINIS.